

## THE SACK OF ROME (390 B.C.) (5.34-41)

The Gauls, spreading through western Europe in the centuries after 1,000 B.C., invade north Italy (which became known as Cisalpine Gaul) and eventually sack Rome in 390 B.C.

1 [34] De transitu in Italiam Gallorum haec accepimus: Prisco Tarquinio  
2 Romae regnante, Celtarum quae pars Galliae tertia est penes Bituriges  
3 summa imperii fuit; ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute  
4 fortunaque cum sua, tum publica praepollens, quod in imperio eius Gallia  
5 adeo frugum hominumque fertilis fuit ut abundans multitudo vix regi  
6 videretur posse. Hic magno natu ipse iam exonerare praegravante turba  
7 regnum cupiens, Bellovesum ac Segovesum sororis filios impigros iuvenes  
8 missurum se esse in quas di dedissent auguriis sedes ostendit; quantum ipsi  
9 vellent numerum hominum excirent ne qua gens arcere advenientes posset.  
10 Tum Segoueso sortibus dati Hercynei saltus; Belloveso haud paulo laetio-  
11 rem in Italiam viam di dabant. Is quod eius ex populis abundabat, Bituriges,  
12 Arvernos, Senones, Haeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit.  
13 Profectus ingentibus peditum equitumque copiis in Tricastinos venit.

14 Alpes inde oppositae erant; quas inexsuperabiles visas haud equidem miror,  
15 nulladum via, quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis  
16 credere libet, superatas. Ibi cum velut saeptos montium altitudo teneret  
17 Gallos, circumspectarentque quanam per iuncta caelo iuga in alium orbem  
18 terrarum transirent, religio etiam tenuit quod allatum est advenas quaerentes  
19 agrum ab Saluum gente oppugnari. Massilienses erant ii, navibus a Phocaea  
20 profecti. Id Galli fortunae suae omen rati, adiuvere ut quem primum in  
21 terram egressi occupaverant locum patientibus Saluis communirent. Ipsi per  
22 Taurinos saltus saltumque Duriae Alpes transcenderunt; fuisque acie Tuscis  
23 haud procul Ticino flumine, cum in quo consederant agrum Insubrium

24 appellari audissent cognominem Insubribus pago Haeduorum, ibi omen  
25 sequentes loci condidere urbem; Mediolanium appellarunt.

26 [35] Alia subinde manus Cenomanorum Etiovio duce vestigia priorum  
27 secuta eodem saltu favente Belloveso cum transcendisset Alpes, ubi nunc  
28 Brixia ac Verona urbes sunt, locos tenuere. Libui considunt post hos  
29 Salluviique, prope antiquam gentem Laevos Ligures incolentes circa  
30 Ticinum amnem. Poenino deinde Boii Lingonesque transgressi cum iam  
31 inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto non  
32 Etruscos modo sed etiam Umbros agro pellunt; intra Appenninum tamen  
33 sese tenuere. Tum Senones, recentissimi advenarum, ab Utente flumine  
34 usque ad Aesim fines habuere. Hanc gentem Clusium Romanque inde  
35 venisse comperio: id parum certum est, solamne an ab omnibus  
36 Cisalpinorum Gallorum populis adiutam.

37 Clusini novo bello exterriti, cum multitudinem, cum formas hominum  
38 inuisitatas cernerent et genus armorum, audirentque saepe ab iis cis Padum  
39 ultraque legiones Etruscorum fusas, quamquam adversus Romanos nullum  
40 eis ius societatis amicitiaeve erat, nisi quod Veientes consanguineos  
41 adversus populum Romanum non defendissent, legatos Romam qui auxilium  
42 ab senatu peterent misere. De auxilio nihil impetratum; legati tres M. Fabi  
43 Ambusti filii missi, qui senatus populique Romani nomine agerent cum  
44 Gallis ne a quibus nullam iniuriam accepissent socios populi Romani atque  
45 amicos oppugnarent. Romanis eos bello quoque si res cogat tuendos esse;  
46 sed melius visum bellum ipsum amoveri si posset, et Gallos novam gentem  
47 pace potius cognosci quam armis.

48 [36] Mitis legatio, ni praeferoces legatos Gallisque magis quam Romanis  
49 similes habuisset. Quibus postquam mandata ediderunt in concilio  
50 [Gallorum] datur responsum, etsi novum nomen audiant Romanorum, tamen  
51 credere viros fortes esse quorum auxilium a Clusinis in re trepida sit  
52 imploratum; et quoniam legatione adversus se maluerint quam armis tueri  
53 socios, ne se quidem pacem quam illi adferant aspernari, si Gallis egentibus  
54 agro, quem latius possideant quam colant Clusini, partem finium concedant;  
55 aliter pacem impetrari non posse. Et responsum coram Romanis accipere  
56 velle et si negetur ager, coram iisdem Romanis dimicatueros, ut nuntiare  
57 domum possent quantum Galli virtute ceteros mortales praestarent.  
58 Quodnam id ius esset agrum a possessoribus petere aut minari arma  
59 Romanis quaerentibus et quid in Etruria rei Gallis esset, cum illi se in armis  
60 ius ferre et omnia fortium virorum esse ferociter dicerent, accensis utrimque  
61 animis ad arma discurritur et proelium conseritur. Ibi iam urgentibus  
62 Romanam urbem fatis legati contra ius gentium arma capiunt. Nec id clam  
63 esse potuit cum ante signa Etruscorum tres nobilissimi fortissimique  
64 Romanae iuventutis pugnarent; tantum eminebat peregrina virtus. Quin  
65 etiam Q. Fabius, eVectus extra aciem equo, ducem Gallorum, ferociter in  
66 ipsa signa Etruscorum incursantem, per latus transfixum hasta occidit;  
67 spoliaque eius legentem Galli agnovere, perque totam aciem Romanum  
68 legatum esse signum datum est. Omissa inde in Clusinos ira, receptui canunt  
69 minantes Romanis. Erant qui extemplo Romam eundum censerent; vicere  
70 seniores, ut legati prius mitterentur questum iniurias postulatamque ut pro  
71 iure gentium violato Fabii dederentur.

72 Legati Gallorum cum ea sicut erant mandata exposuissent, senatui nec  
73 factum placebat Fabiorum et ius postulare barbari videbantur; sed ne id quod

74 placebat decerneretur in tantae nobilitatis viris ambitio obstabat. Itaque ne  
75 penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptae, cognitionem de  
76 postulatis Gallorum ad populum reiciunt; ubi tanto plus gratia atque opes  
77 valere ut quorum de poena agebatur tribuni militum consulari potestate in  
78 insequentem annum crearentur. Quo facto haud secus quam dignum erat  
79 infensi Galli bellum propalam minantes ad suos redeunt. Tribuni militum  
80 cum tribus Fabiis creati Q. Sulpicius Longus Q. Seruilius quartum P.  
81 Cornelius Maluginensis.

82 [37] Cum tanta moles mali instaret—adeo occaecat animos fortuna, ubi vim  
83 suam ingruentem refringi non volt—civitas quae adversus Fidenatem ac  
84 Veientem hostem aliosque finitimos populos ultima experiens auxilia  
85 dictatorem multis tempestatibus dixisset, ea tunc invisitato atque inaudito  
86 hoste ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum ciente, nihil extraordinarii  
87 imperii aut auxilii quaesivit. Tribuni quorum temeritate bellum contractum  
88 erat summae rerum praeerant, dilectumque nihilo accuratiorem quam ad  
89 media bella haberi solitus erat, extenuantes etiam famam belli, habebant.

90 Interim Galli postquam accepere ultro honorem habitum violatoribus iuris  
91 humani elusamque legationem suam esse, flagrantem ira cuius impotens est  
92 gens, confestim signis convolsis citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum  
93 praetereuntium raptim tumultum cum exterritae urbes ad arma concurrerent  
94 fugaque agrestium fieret, Romam se ire magno clamore significabant  
95 quacumque ibant, equis virisque longe ac late fuso agmine immensum  
96 obtinentes loci. Sed antecedente fama nuntiisque Clusinorum, deinceps inde  
97 aliorum populorum, plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit,  
98 quippe quibus velut tumultuario exercitu raptim ducto aegre ad undecimum

99 lapidem occursum est, qua flumen Allia, Crustumini montibus praealto  
100 defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miscetur. Iam omnia  
101 contra circaque hostium plena erant et nata in vanos tumultus gens truci  
102 cantu clamoribusque variis horrendo cuncta compleverant sono.

103 [38] Ibi tribuni militum non loco castris ante capto, non praemunito vallo  
104 quo receptus esset, non deorum saltem si non hominum memores, nec  
105 auspicato nec litato, instruunt aciem, diductam in cornua ne circumveniri  
106 multitudine hostium possent; nec tamen aequari frontes poterant cum  
107 extenuando infirmam et vix cohaerentem mediam aciem haberent. Paulum  
108 erat ab dextera editi loci quem subsidiariis repleti placuit, eaque res ut  
109 initium pavoris ac fugae, sic una salus fugientibus fuit. Nam Brennus regulus  
110 Gallorum in paucitate hostium artem maxime timens, ratus ad id captum  
111 superiorem locum ut ubi Galli cum acie legionum recta fronte  
112 concurrissent subsidia in aversos transversosque impetum darent, ad  
113 subsidiarios signa convertit, si eos loco depulisset haud dubius facilem in  
114 aequo campi tantum superanti multitudine victoriam fore. Adeo non fortuna  
115 modo sed ratio etiam cum barbaris stabat. In altera acie nihil simile  
116 Romanis, non apud duces, non apud milites erat. Pavor fugaeque occupaverat  
117 animos et tanta omnium oblivio, ut multo maior pars Veios in hostium  
118 urbem, cum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad coniuges ac  
119 liberos fugerent.

120 Parumper subsidiarios tutatus est locus; in reliqua acie simul est clamor  
121 proximis ab latere, ultimis ab tergo auditus, ignotum hostem prius paene  
122 quam viderent, non modo non temptato certamine sed ne clamore quidem  
123 reddito integri intactique fugerunt; nec ulla caedes pugnantium fuit; terga

124 caesa suomet ipsorum certamine in turba impredientium fugam. Circa ripam  
125 Tiberis quo armis abiectis totum sinistrum cornu defugit, magna strages  
126 facta est, multosque imperitos nandi aut invalidos, graves lorice aliisque  
127 tegminibus, hausere gurgites; maxima tamen pars incolumis Veios perfugit,  
128 unde non modo praesidii quicquam sed ne nuntius quidem cladis Romam est  
129 missus. Ab dextro cornu quod procul a flumine et magis sub monte steterat,  
130 Romam omnes petiere et ne clausis quidem portis urbis in arcem  
131 confugerunt.

132 [39] Gallos quoque velut obstupefactos miraculum victoriae tam repentinae  
133 tenuit, et ipsi pavore defixi primum steterunt, velut ignari quid accidisset;  
134 deinde insidias vereri; postremo caesorum spolia legere armorumque  
135 cumulos, ut mos eis est, coacervare; tum demum postquam nihil usquam  
136 hostile cernebatur viam ingressi, haud multo ante solis occasum ad urbem  
137 Romam perveniunt. Ubi cum praegressi equites non portas clausas, non  
138 stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris rettulissent, aliud  
139 priori simile miraculum eos sustinuit; noctemque veriti et ignotae situm  
140 urbis, inter Romam atque Anienem consedere, exploratoribus missis circa  
141 moenia aliasque portas quaenam hostibus in perdita re consilia essent.

142 Romani cum pars maior ex acie Veios petisset quam Romam, nemo  
143 superesse quemquam praeter eos qui Romam refugerant crederet, complorati  
144 omnes pariter vivi mortuique totam prope urbem lamentis impleverunt.  
145 Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse  
146 nuntiatum est; mox ululatus cantusque dissonos vagantibus circa moenia  
147 turmatim barbaris audiebant. Omne inde tempus suspensos ita tenuit animos  
148 usque ad lucem alteram ut identidem iam in urbem futurus videretur

149 impetus: primo adventu, quia accesserant ad urbem,—mansuros enim ad  
150 Alliam fuisse nisi hoc consilii foret;—deinde sub occasum solis, quia haud  
151 multum diei supererat, ante noctem rati sunt invasuros; tum in noctem  
152 dilatum consilium esse, quo plus pavoris inferrent. Postremo lux  
153 appropinquans exanimare, timorique perpetuo ipsum malum continens fuit  
154 cum signa infesta portis sunt inlata.

155 Nequaquam tamen ea nocte neque insequenti die similis illi quae ad Alliam  
156 tam pavidè fugerat civitas fuit. Nam cum defendi urbem posse tam parva  
157 relicta manu spes nulla esset, placuit cum coniugibus ac liberis iuventutem  
158 militarem senatusque robur in arcem Capitoliumque concedere, armisque et  
159 frumento conlato, ex loco inde munito deos hominesque et Romanum nomen  
160 defendere; flaminem sacerdotesque Vestales sacra publica a caede, ab  
161 incendiis procul auferre, nec ante deserì cultum eorum quam non superessent  
162 qui colerent. Si arx Capitoliumque, sedes deorum, si senatus, caput publici  
163 consilii, si militaris iuventus superfuerit imminenti ruinae urbis, facilem  
164 iacturam esse seniorum relictæ in urbe utique periturae turbae. Et quo id  
165 aequiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales consularesque  
166 simul se cum illis palam dicere obituros, nec his corporibus, quibus non  
167 arma ferre, non tueri patriam possent, oneratos inopiam armatorum.

168 [40] Haec inter seniores morti destinatos iactata solacia. Versae inde  
169 adhortationes ad agmen iuvenum quos in Capitolium atque in arcem  
170 prosequabantur, commendantes virtuti eorum iuventaeque urbis per  
171 trecentos sexaginta annos omnibus bellis victricis quaecumque reliqua esset  
172 fortuna. Digredientibus qui spem omnem atque opem secum ferebant ab iis  
173 qui captae urbis non superesse statuerant exitio, cum ipsa res speciesque

174 miserabilis erat, tum muliebris fletus et concursatio incerta nunc hos, nunc  
175 illos sequentium rogitantiumque viros natosque cui se fato darent, nihil quod  
176 humani superesset mali relinquebant. Magna pars tamen earum in arcem  
177 suos persecutae sunt, nec prohibente ullo nec vocante, quia quod utile  
178 obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat.

179 Alia maxime plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis nec alere in  
180 tanta inopia frumenti poterat, ex urbe effusa velut agmine iam uno petiit  
181 Ianiculum. Inde pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas, sine ullo  
182 duce aut consensu, suam quisque spem, sua consilia communibus deploratis  
183 exsequentes.

184 Flamen interim Quirinalis virginesque Vestales omissa rerum suarum cura,  
185 quae sacrorum secum ferenda, quae quia vires ad omnia ferenda deerant  
186 relinquenda essent consultantes, quisve ea locus fideli adservaturus custodia  
187 esset, optimum ducunt condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis  
188 Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere; cetera inter se onere partito  
189 ferunt via quae sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo clivo eas cum L.  
190 Albinus de plebe Romana homo conspexisset plaustro coniugem ad liberos  
191 vehens inter ceteram turbam quae inutilis bello urbe excedebat, salvo etiam  
192 tum discrimine divinarum humanarumque rerum religiosum ratus sacerdotes  
193 publicas sacraque populi Romani pedibus ire ferrique, se ac suos in vehiculo  
194 conspici, descendere uxorem ac pueros iussit, virgines sacraque in plastrum  
195 imposuit et Caere quo iter sacerdotibus erat pervexit.

196 [41] Romae interim satis iam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem  
197 compositis, turba seniorum domos regressi adventum hostium obstinato ad



198 mortem animo expectabant. Qui eorum curules gesserant magistratus, ut in  
199 fortunae pristinae honorumque aut virtutis insignibus morerentur, quae  
200 augustissima vestis est tensus ducentibus triumphantibusue, ea vestiti medio  
201 aedium eburneis sellis sedere. Sunt qui M. Folio pontifice maximo praefante  
202 carmen devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis tradant.

203 Galli et quia interposita nocte a contentione pugnae remiserant animos et  
204 quod nec in acie ancipiti usquam certaverant proelio nec tum impetu aut vi  
205 capiebant urbem, sine ira, sine ardore animorum ingressi postero die urbem  
206 patente Collina porta in forum perveniunt, circumferentes oculos ad templa  
207 deum arcemque solam belli speciem tenentem. Inde, modico relicto  
208 praesidio ne quis in dissipatos ex arce aut Capitolio impetus fieret, dilapsi ad  
209 praedam vacuis occursum hominum viis, pars in proxima quaeque tectorum  
210 agmine ruunt, pars ultima, velut ea demum intacta et referta praeda, petunt;  
211 inde rursus ipsa solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, in  
212 forum ac propinqua foro loca conglobati redibant; ubi eos, plebis aedificiis  
213 obseratis, patentibus atriis principum, maior prope cunctatio tenebat aperta  
214 quam clausa invadendi; adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in  
215 aedium vestibulis sedentes viros, praeter ornatum habitumque humano  
216 augustiorem, maiestate etiam quam voltus gravitasque oris prae se ferebat  
217 simillimos dis.

218 Ad eos velut simulacra versi cum starent, M. Papirius, unus ex iis, dicitur  
219 Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti scipione  
220 eburneo in caput incusso iram movisse, atque ab eo initium caedis ortum,  
221 ceteros in sedibus suis trucidatos; post principium caedem nulli deinde  
222 mortalium parci, diripi tecta, exhaustis inici ignes.